

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586


Oratio XL: Pro M. Marcello

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

magis, si aduētita pecunia petitur ab eo, cui sua non redditur. nam in eum, cui misericordia opitulari debeat, inuidia quaesita est. Sed iam quoniam, ut spero, fidem quam potui tibi praestiti, Postume, reddam etiā lacrymas, quas debeo, quas quidē ego tuas in meo casu plurimas uidi, uersatur ante oculos luctuosa nox meis omnibus, cum tu totum tecum tuis copijs ad me detulisti. tu comitibus, tu praesidio, tu etiam tanto pondere auri, quātum tēpus illud postulabas, discessum illum sustentasti: tu numquam meis, me absente, liberis, numquam coniugi meae defuisti. Possim excitare multos reductos testes liberalitatis tuae: quod saepe audiui patri tuo, qui id fecisset, magno adiumento iudicio capitis fuisse. sed iam omnia timeo: bonitatis ipsius inuidiam reformido. tam indicat tot hominū sctus, quā sis carus tuis; & me dolor debilitat, includitq; uocem, Vos P. B. obsecro, iudices, ut huic optimo uiro, quo nemo melior unquam fuit, nomen equitis Rom. & usuram huius lucis, & uestrum conspectum ne eripatis. hic uos aliud nihil orat, nisi ut rellis oculis hanc urbem sibi intueri, atq; in hoc foro uestigium facere liceat: quod ipsum fortuna eripuerat, nisi unius amici opes subuenissent.



PRO M. MARCELLO. P. II 3.
 LO. ORATIO XI.

DIVTIRNI silentij P.C. quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim uerecundia, finem hodiernus dies attulit, idemq; inuicem, quae uellem, quaeq; sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim māsue-

tudinem, tam inusitatam, inauditamque clementiam, tā-
 tum in summa potestate rerum omnium modum, tam de-
 nique incredibilem sapientiam, ac pene diuinam tacitus
 nullo modo præterire possum. M. enim Marcello uobis,
 P. C. reique pub. reddito, non solum illius, sed meam etiam
 uocem, & auctoritatem & uobis, & reipubl. conserva-
 tam, ac restitutam puto. Dolebam enim, P. C. ac uehe-
 menter angebar, cum uiderem uirum talem, qui in eadem
 causa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna: nec
 mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, uersari
 me in uestro ueteri curriculo, illo æmulo, atque imita-
 tore studiorum, ac laborum meorum, quasi quodam so-
 cio a me, & comite distracto. Ergo & mihi mea præ-
 stituta uita & consuetudinem, C. Caesar, interclusam aperu-
 isti; & his omnibus, ad bene de omni repub. speran-
 dum, quasi signum aliquod sustulisti. Intellectum est enim
 mihi quidem in multis, & maxime in meipso, sed paullo
 ante omnibus, cum M. Marcellum senatui, populoque
 Rom. & reipubl. concessisti, commemoratis præsertim
 etiam offensionibus, te auctoritatem huius ordinis, digni-
 tatemque reipubl. tuis uel doloribus, uel suspicionibus ante-
 ferre. Ille quidem fructum omnis antea actæ uitæ hodie-
 no die maximum cepit, cum summo consensu senatus, tum
 præterea iudicio tuo grauissimo, & maximo, ex quo pro-
 fecto intelligis: quanta in dato beneficio sit laus, cum in
 accepto tanta sit gloria. Est uere fortunatus ille, cuius ex-
 salute non maior pene ad omnes, quam ad illum uentu-
 ra sit, letitia peruenierit. Quod ei quidem merito, atque
 optimo iure contigit, quis enim est illo aut nobilitate, aut
 probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia,
 aut ullo genere laudis præstantior? Nullius tantum est flumen
 inge

P. B.

ingenij, nulla dicendi, aut scribendi tāta uis, tantaq; copia
 quae non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas
 gestas possit: tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua;
 nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quā ho-
 dierno die consecutus es. Soleo saepe ante oculos ponere,
 idq; libenter crebris usurpare sermonibus: omnes nostrorū
 imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimo-
 rumq; populorum, omnes clarissimorum regum res gestas
 cum tuis nec contētionum magnitudine, nec numero prae-
 liorum, nec uarietate regionum, nec celeritate conficiendi,
 nec dissimilitudine bellorum posse conferri: nec uero disun-
 ctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse pera-
 grari, quam tuis non dicam cursibus, sed uictorijs illustra-
 tā sunt. Quae quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea
 uix cuiusquam mens, aut cogitatio capere possit, amēs sim:
 sed tamen sunt alia maiora. Nam bellicas laudes solēt qui-
 dam extenuare uerbis, easq; detrabere ducibus, cōmuni-
 care cum militibus, ne propriae sint imperatorum. & certe
 in armis, militum uirtus, locorum opportunitas, auxilia so-
 ciorum, classes, cōmeatus, multum iuuant. maximam uero
 partem quasi suo iure Fortuna sibi uindicat, & quidquid
 est prospere gestum, id p̄ne omne ducit suum. At uero hu-
 ius gloriae, C. Caesar, quam es paullo ante adeptus, socium
 habes neminem: totum hoc, quantumcumq; est, quod certe
 maximum est, totum est, inquam, tuū, nihil sibi ex ista lau-
 de centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma de-
 cerpit. quin etiam illa ipsa rerum humanarū domina For-
 tuna in istius se societatem gloriae non offert, tibi cedit, tuā
 esse totam, & propriam fatetur. numquā enim temeritas
 cum sapientia commiscetur, nec ad cōsiliū casus admit-
 titur. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine

innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantantes: sed tamen ea uicisti, quæ & naturam, & cōdicionem, ut uinci possent, habebāt. nulla est enim tāta uis, tāta copia, quæ non ferro, ac uiribus debilitari, frangique possit. uerum animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, uirtute præstantem non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem; hæc qui faciat, nõ ego eū cum summis uiris comparo, sed simillimū deo iudico. Itaq; C. Cæsar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non solum nostris, sed pene omnium gentium literis, atq; linguis, neq; ulla umquam ætas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen eiusmodi res, nescio quomodo, etiam, dum audiuntur, aut dum leguntur, obstrepi clamore militum uidentur, & tubarum sono. At uero, cum aliquid clementer, mansuete, iuste, moderate, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, & in uictoria, quæ natura insolēs, & superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis? ut eos sæpe, quos numquam uidimus, diligamus. Te P. B. uero, quem præsentem intuemur, cuius mētem, sensusq; & os cernimus, ut quidquid belli fortuna reliquum reip. fecerit, id esse saluum uelis, quibus laudibus effremus? quibus studijs prosequemur? qua beneuolentia complectemur? patrietes, medijs fidijs, C. Cæsar, ut mihi uideatur, huius curia tibi gratias agere gestiunt, quod breui tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorum, & suis sedibus. Equidem, cum C. Marcelli, uiri optimi, & commemorabili pietate, ac uirtute præditi lacrymas modo nobiscum uiderem, omnium Marcellorum mentem pectus memoria effodit, quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conseruato, digni

gnitatem suam reddidisti, nobilissimamq; familiam, iam ad paucos redactam, sane ab interitu vindicasti. Hunc tu igitur diem tuis maximis, & innumerabilibus gratulationibus iure antepones, hæc enim res unius est propria Casaris: cetera, duce te, gesta, magna illa quidem, sed iam è multo, magnoq; comitatu, huius autem rei tu idem es & dux, & comes: quæ quidem tanta est, ut trophæis, monumentisque tuis *nonnulla unquam allatura sit finem ætas, nihil enim est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & confirmat uetustas. at uero hæc tua iustitia, & lenitas animi floreſcet quotidie magis, ita, ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et ceteros quidem omnes uictores bellorum ciuilium iam ante æquitate, & misericordia uiceras, hodierno uero die te ipsum uicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, *non perinde intelligi auditu possit, atq; ego ipse cogitans sentio, ipsam uictoriam uicisse uideris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, uictis remisisti. nam, cum ipsius uictoriæ conditione iure omnes uicti occidissimus, clementia tuæ iudicio conseruati sumus, recte igitur unus inuictus es, à quo etiam ipsius uictoriæ condicio, usq; deuicta est. Atq; hoc C. Casaris iudicium, P. C. quæ late pateat, attendite, omnes enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo reip. misero, funestoq; compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, à scelere certe liberati sumus. nam, cum M. Marcellum, deprecantibus uobis reip. conseruauit, memet mihi, & item reip. nullo deprecante, reliquos amplissimos uiros, & sibi ipsis, & patriæ reddidit: quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipso in confessu uidetis: non ille hostes induxit in curiam, * sed indicauit, a plerisque, ignorantione potius, & falso, atq; inani metu, quam cupiditate, aut crudelitate* ciuile bellum esse

susceptum. Quo quidem in bello semper de pace agendum, audiendumq; esse putavi; semperq; dolui, nō modo pacem, sed orationem etiam civium pacem efflagitantium repudiari. Neq; enim ego illa, nec ulla unquam secutus sum arma civilia, semperq; mea consilia pacis, & togæ sociæ, non belli, atq; armorum fuerunt. hominem sum secutus privato officio, non publico: tantumq; apud me grati animi fidelis memoria ualuit, ut nulla modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens, & sciens tamquam ad interitum ruerem uoluntarium. Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit, nam & in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, & in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo nemo erit tam iniustus rerum æstimator, qui dubitet, quæ Cæsaris uoluntas de bello fuerit, cum pacis auctores conseruandos statim censuerit; ceteris fuerit iratior. Atq; id minus mirum uideretur fortasse tū, cum esset incertus exitus, & anceps fortuna belli: qui uero uictor, pacis auctores diligit, is profecto declarat, maluisse se non dimicare, quam uincere. Atq; huius quidem rei M. Marcello sum testis. nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. quoties ego eum, & quanto cum dolore uidi, cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius uictoriæ ferocitatem extimescentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Cæsar, nobis, qui illa uicimus, debet esse, non enim iam causæ sunt inter se, sed uictoriæ comparandæ. Vidimus tuam uictoriam præliorum exitu terminatam: gladium uagina uacuum in urbe non uidimus, quos amisimus ciues, eos Martis uis percussit, non iræ uictoriæ: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conseruat, quos potest. Alterius uero partis, nihil amplius

plius dicam, quam id, quod omnes uerebamur, nimis iracundam futuram fuisse uictoriam. quidam enim non modo armatis, sed interdum etiam otiosis minabantur: nec, quid quisq; sensisset, sed, ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem uideantur dii immortales, etiamsi pœnas à populo Romano ob aliquod delictum expetuerint, qui ciuile bellum tantum, & tam luctuosum excitauerunt, uel placati iam, uel etiam satiati aliquando omnem spem salutis ad clementiam uictoris, & sapientiam contulisse. Quare gaude tuo isto tam excellenti bono, & fruire cum fortuna, & gloria, tum etiam natura, & moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus, incunctitasq; sapienti. cetera enim tua recordabere, etsi persæpe uirtuti, tamen plerumque felicitati tuæ congratulabere: de nobis, quos in repub. tecum simul saluos esse uoluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis: quæ non modo summa bona, sed nimirum audebo, uel sola dicere. tantus est enim splendor in laude uera, tanta in magnitudine animi, & consilij dignitas, ut hæc à uirtute donata, cetera à fortuna commodata esse uideantur. Noli igitur in seruandis bonis uiris, defatigari, non cupiditate præsertim, aut præuirtute aliqua lapsis, sed opinione officij, stultata fortasse, certe non improba, & speciei quadam reipub. Non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt: contraq; summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt. Nunc uero uenio ad grauissimam querelam, & atrocissimam suspicionem tuam: quæ non tibi ipsi magis, quam cum omnibus ciuibus, tum maxime nobis, qui à te seruati sumus, prouidenda est. quam, etsi spero esse falsam, nunquam tamen uerbis extenuabo. tua enim cautio,

P. 134.

nostra cautio est: ut, si in alterutro peccandū sit, malim uideri nimis timidus, quam parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens, * qui scilicet tibi insidiaretur? de tuisne? tametsi, qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti? an ex eo numero, qui una tecum fuerunt? non est credibilis tantus in illo furor, ut, quo ducere, omnia summa sit adeptus, huius uitam nō anteponat sua. At, si tui nihil cogitant sceleris, cauendum est, ne quid inimici, quid omnes enim, qui fuerunt, aut sua pertinacia uitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: ut aut nulli supersint de inimicis, aut, qui superauerant, amicissimi sint, sed tamen, cum in animis hominum tāta latebra, sint, & tanti recessus, augeamus sane suspicionem tuam, simul enim augebimus, & diligentiam. nā quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in repub. tam nihil unquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat tua salute contineri suam? & ex unius tui, uitam pendere omnium? Equidem de te dies, noctesq;, ut debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, & incertos euentus ualetudinis, & natura communis fragilitatem extimesco: doleoq;, cum respub. immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere. si nero ad humanos casus, incertosq; euentus ualetudinis, sceleris etiam accedat, insidiarumq; consensio: quem dum, etiamsi cupiat, opitulari posse reipub. credamus? Omnia sunt excitanda tibi, C. Caesar, uni, quae iacere sentis belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa, atque prostrata: constituenda iudicia, renouanda fides, comprimenda libidines, propaganda soboles: omnia, quae dilapsa iam fluxerunt, seueris legibus uincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto ciuili bello, tantoq; animorum ardore, & armorum, quin quassata resp. quicumque belli euentus fuisset.

fuisse, multa perderet & ornamenta dignitatis, & praesidia stabilitatis suae: multaque; uterque; dux faceret armatus, quae idem togatus fieri prohibuisset. quae quidem nunc tibi omnia belli vulnere curanda sumi; quibus praeter te mederi nemo potest. Itaque; illam tuam, praeclearissimam, & sapientissimam uocem inuitus audiri, satis te diu uel natura uixisse, uel gloriae; satis si ita uis, natura fortasse; addo etiam, si placet, gloriae; at, quod maximum est, patriae certe parum. Quare mitte, quaeso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam, noli nostro periculo sapientis esse. saepe enim uenit ad aures meas te idem istud nimis crebro dicere, satis te tibi uixisse, credo; sed tum id audirem, si tibi soli uiueres; aut si tibi etiam soli natus esses: nunc, cum omnium salutem ciuium, cunctamque rempublicam, tuae gestae complexa sint; tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum ieceris. Hic tu modum tuae uita non salute reipublicae, sed aequitate animi definies; quid, si istud ne gloriae quidem tuae satis est? cuius te esse auidissimum, quamuis sis sapiens, non negabis. Parumne igitur, inquit, gloriam magnam relinquemus? immo uero alijs, quamuis multis, satis tibi uni parum, quidquid enim est, quamuis amplum sit, id certe parum est tum, cum est aliquid amplius. Quod si reuoluaturarum immortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut, deuictis aduersarijs, rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est: uide quaeso, ne tua diuina uirtus admirationis plus sit habitura, quam gloriae. si quidem gloria est illustris, ac peruagata multorum, & magnorum uel in suos, ciues, uel in patriam, uel in omne genus hominum fama meritorum. Haec igitur tibi reliqua pars est: hic restat actus in hoc elaborandum est, ut rempublicam constituas, eaque

p. 135.

tu^s in primis composita, summa tranquillitate, & otio
 persuare. tum te, si uoles, cum & patria, quod debes sol-
 ueris, & naturam ipsam expleueris satietate uiuendis, la-
 tis diu uixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu,
 in quo est aliquid extremum? quod cum uenerit, omnis uo-
 luptas prae terita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit.
 quamquam iste tuus animus nunquam his angustijs, quas
 natura nobis ad uiuendum dedit, contentus fuit, semperque
 P. B. immortalitatis amore flagrauit. Nec uero haec tua uita
 dicenda est, quae corpore, & spiritu continetur: illa, inquam,
 illa uita est tua, Caesar, quae uigebit memoria saeculorum
 omnium, quam posteritas alet, quae ipsa aeternitas semper
 intuebitur. huic tu inseras, huic te ostentes oportet: quae
 quidem, quae miretur, iam pridem multa habet: nunc, etiam
 quae laudet, exspectat. obstupescunt posteri certe imperia,
 prouincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innume-
 rables, incredibiles uictorias, monumenta, munera, trium-
 phos audientes, & legentes tuos. sed, nisi haec urbs stabilita
 tuis consilijs, & institutis erit; uagabitur modo nomen
 tuum longe, atque late: sedem quidem stabilem, & domici-
 lium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur,
 sicut inter nos fuit, magna dissensio; cum alij laudibus
 ad caeli ures tuas gestas efferent, alij fortasse aliquid requi-
 rent, idque uel maximum, nisi belli ciuilibus incendium salute
 patriae restinxeris: ut illud fati fuisse uideatur, hoc consi-
 lij. Serui igitur ijs etiam iudicibus, qui multis post saeculis
 de te iudicabunt, & quidem haud scio, an incorruptius,
 quam nos. Nam & sine amore, & sine cupiditate, & rur-
 sus sine odio, & sine inuidia iudicabunt. Id autem, etiamsi
 tunc ad te, ut quidam falso putant, non pertinebit; nunc
 certe pertinet, te esse tale, ut tuas laudes obscuratura nul-
 la

la umquam sit obliuio. Diuersæ uoluntates ciuium fuerūt, distractæq; sententiæ. Non enim consilijs solum, & studijs, sed armis etiam, & castris dissidebamus. Erat autē obscuritas quædam, erat certamē inter clarissimos duces: multi dubitabāt, quid optimum esset: multi, quid sibi expediret: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta resp. est hoc misero, fatali; bello: uicit is, qui nō fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret; neque omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exsilio, aut morte dignos iudicaret. arma ab alijs posita, ab alijs erepta sunt. ingratus est, iniustusque ciuis, qui, armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: * ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, quam qui in causa animam * profudit. quæ enim pertinacia est quibusdam, eadem alijs constantia uideri potest. Sed quia iam omnis fracta diffensio est armis, & extincta æquitate uictoris: restat, ut omnes unum uelint, qui modo habēt aliquid non solū sapientiæ, sed etiā sanitatis: quia, nisi te, C. Caesar, saluo, & in ista sententia, qua cum antea, tum hodie uel maxime usus es, manente, salui esse non possumus. Quare omnes te, qui hæc salua esse uolumus, & hortamur, & obsecramus, ut uita, ut saluti tuæ consulas: omnesq; tibi (ut pro alijs etiā loquar, quod de me ipse sentio) quoniam subesse aliquid putas, quod cauēdum sit, non modo excubias, & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus, & corporum pollicemur. Sed, ut unde est orsa, in eodem terminetur oratio mea, maximas tibi omnes gratias agimus, C. Caesar; maiores etiā habemus. Nam omnes idem sentiūt: quod ex omnium precibus, & lacrymis sentire potuisti. Sed, quia non est * astantibus omnibus necesse dicere, a me certe dici uolūt, cui necesse est quodammodo, & quod uolunt, & quod, M.

P. 136.

Marcello a te huic ordini, populoq; Rom. & reipubl. red-
dito, præcipue id a me fieri debere intelligo. nam Latari
omnes, non ut de unius solum, sed ut de communi omnium
salute, sentio. quod autē summa benevolentia est, quæ me a
P. B. erga illum omnibus semper nota fuit, ut uix C. Marcello
optimo, & amantissimo fratri, præter eum quidem cederē
nemini: cum id sollicitudine, cura, labore tam diu præstite-
rim, quamdiu est de illius salute dubitatum: certe hoc tem-
pore magna curis, molestijs, doloribus liberatus præstare
debeo. Itaq; C. Cesar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me re-
bus a te non conseruato solum, sed etiam ornato, tamen ad
tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri iā posse
nō arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.



P. 137. PRO Q. LIGARIO
AD C. CAESAREM.

ORATIO XLI.



NON VVM crimen, C. Cesar, & ante hūc diem
inauditum propinquus meus ad te Q. Tu-
bero detulit, Q. Ligarium in Africa fuisse:
idque C. Pansa præstanti uir ingenio, fretus
fortasse ea familiaritate, quæ est ei tecum, ausus est con-
fiteri. Itaque, quo me ueritatem, nescio: paratus enim ueritate
ram